

# medic@

**Baudelocque, Jean-Louis - candidat /  
Devilliers, Charles - président. - An in  
partu, propter angustiam pelvis,  
impossibili, symphysis ossium pubis  
secanda ?**

**1776.**

***Paris : Typis Michaelis Lambert,  
Regii Chirurgiae Collegii  
Typographi, viâ Cithareâ,  
Cote : ms 2344, n°30***

AN IN PARTU,  
 PROPTER ANGSTIAM PELVIS,  
 IMPOSSIBILI,  
 SYMPHYSIS OSSIUM  
 PUBIS SECANDA?

*T H E S E S*

ANATOMICO-CHIRURGICÆ;  
 QUAS, DEO JUVANTE, & Præfide M. CAROLO  
 DEVILLIERS, Artium & Chirurgiæ Magistro,  
 tueri conabitur JOANNES-LUDOVICUS  
 BAUDELOCQUE, Ambianensis, Artium Magister,  
 Theseos Auctor.

P A R I S I I S,  
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.  
 Die Martis 5<sup>a</sup> mensis Novembris, à sesqui-secundâ post  
 meridiem ad septimam A. S. H. R. 1776.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A :



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii  
 Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXVI.



AN IN PARTU

PROPTER ANGSTIAM PELVIS

IMPOSSIBILI

SYMPTYSIS OSSIUM

PUBIS SECUNDARIE

IN TERTIA

ANATOMICO-CHIRURGICIS

GRANDI DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGICAE

DAVIDE J. ANTOINE, ANATOMO-CHIRURGO

IN REGIA ACADEMIA MEDICAE ET CHIRURGICAE

PARISIENSIS SOCIETATE ANATOMICO-CHIRURGICA

PARISIIS

IN REGIA ACADEMIA MEDICAE ET CHIRURGICAE

PARISIENSIS SOCIETATE ANATOMICO-CHIRURGICA

ANNO MDCCCXXXIII

IN AEDIBUS PUBLIS

17

REGIUM ACADEMIAM MEDICAM ET CHIRURGICAM




THE MICHAEL LAMBERT, JR. CHINESE COLLECTION

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LIBRARY

500 LEXN



NOBILISSIMO  
AC POTENTISSIMO VIRO  
LUDOVICO-CAROLO-ANTONIO  
MARCHIONI DE GOUFFIER,

*Castris Exercitibusque Regiis Praefecto, &c. &c. &c.*

**I**BI-NE palàm tuâ bonâ pace, profitear, ô dulce  
decus tutamenque meum, ex ephebis me sinu tuo  
fotum, nihil tunc esse, nec fore, nec habiturum

A ij

[4]

*unquam, quod non acceptum referre tibi gratus & memor usque gestiet animus. Quid-ni profiterer? Nullo eximiori cultu, illibato-ve magis honore potest excoli, quâ nites, virtus munifica bonis, quàm publicâ beneficiorum quæ largâ manu contulit recensione. Tuam in me, tuam in tot alios opem benignam hîc commendans, mihi virtutem ipsam honestare videor, teque cæteris hominibus exemplar utile proponere. Sibi mea mens plaudit conscia tuæ laudis egregiæ mansuræque famæ. Harum utinam in ævum veniens perennioribus possim monumentis solemnitus ipsis nomen condere.*

**J. L. BAUDELOQUE.**



# *T H E S E S*

## ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

---

**S**I BLANDA veneris gaudia mulier experta conceperit, si gratum onus in sinu gestat ovans, longaue novem menses strenuè patitur fastidia; sæpiùs heu! Nimiùm sæpiùs angustia pelvis adhuc obest, quin viâ naturali feliciter infans prodeat in lucem; quâ vivus educatur, tunc una superest ratio, sectio videlicèt cæsarea. Sed si nascituri vitæ parcat consulens, lethiferam ut plurimùm esse matri inficias ire vetat experientia. Tàm gravis momenti periculo deterriti, plures artis peritiam intenderunt in hâc penitùs amovendâ, sectionem symphyseos pubis expeditiorem minùsque nocivam tenaciter contendentes, sed præposterè; illam utpotè supervacaneam exitiosamque procùl amandare suscipimus. Hic noster labor erit & scopus, quò pergentes,

de pelvi femininâ fœtûsque capite relativè ad eam pauca quædam anatomica præmittemus.

## I.

Compages ossea, quæ spinali columnæ basis ad instar & fulcimenti subjacet, pelvis nuncupatur; in pueris quatuordecim partibus constata, in adultis autem quatuor potissimum efficitur, geminis scilicet ossibus innominatis, sacro & coccyge, quorum, varia pro variis subjectis amplitudo deprehenditur & forma.

Os quodque innominatum tribus in fœtu constat partibus, quarum superior *ilium*, anterior *pubis*, inferior tandem *ischium*, dicitur. Eas-ce simul adunat substantia cartilaginea, quæ post-indè penitus aboletur, prout inaugescit ossium volumen: hinc mecum assentias compagem istam faciliùs abrumpi, quàm in loco symphysis dissociari posse.

Inter se pelvis ossa aptantur ope substantiæ, quæ cartilaginibus & ligamentis paululò absimilis, utriusque tamen videtur esse particeps; tenuis & rara dum ossa nectit innominata & sacrum, pluribus densior fit laminis inter ossa pubis; ingravescente prægnantis onere parumpèr intumescit, mollior hinc & spissior generatim in matribus agnoscitur. Symphyfes illas fasciæ ligamentosæ tot adjutrices ambiunt & firman, ut nullus eas recensere huc-usque susceperit anatomicus. Quas quisque norit in medium duntaxat adducemus, ligamenta nempe sacroischiatrica, nec - non ea quæ à processibus transversis ultimæ lumbaris vertebræ ad ilia usque protenduntur, demùm triangulare pubis ligamentum. Cætera propè dicam circum symphyfes illas passim & promiscuè sparsa.

Deniquè pelvis ossa tam potenti juncturâ adstringuntur, ut prorsus stent immota [a], si coccygem unum excipias, quem in

[a] D. Bertin, Tract. de oss. t. 3, p. 246. Clarif. M. Sabatier Anat. p. 1<sup>a</sup> pag. 132,

labore partûs æquè moveri neceſſè eſt, ac aliis functionibus noxia foret cæterorum mobilitas.

## I I.

Geminas in partes dividitur pelvis, margine in modum circuli deſinente & in antrorsum proclivi; superior, curvè incifam ſefe præferens, ab uno latere ad alterum latè patet; inferior pelvis minor dicitur, cujus inter duplicem aperturam, vel freta, mediam partem agnoſcunt obſtrictantes.

Fretum ſuperius quarumque propè mulierum ellipticam quaſi effingit figuram. Ejus diameter major ab uno latere protenſa ad alterum pollices  $5 \frac{1}{4}$ ; minor, quæ à ſymphysi pubis oſſium ad ſuperiorem partem oſſis ſacri menſuratur, pollices  $4 \frac{1}{4}$ ; media autem pollices  $4 \frac{3}{4}$  aut circitèr, adæquat; iſta à ſacro-iliacâ commiſſurâ ad poſticam partem oſſis pubis oppoſiti porrigitur, pelvim obliquè percurrendo.

Fretum inferius tantisper ſuperiore minus, figurâ quoque minùs regulari donatur. Lunatæ ſunt poſticè partes laterales item & pars anterior: ab apice hujus-ce anterioris, *arcus pubis* dictæ, ad coccygis acumen diſtantia pollicibus  $4 \frac{1}{4}$  emetitur; eadem eſt ab unâ tuberoſitate iſchiaticâ ad alteram. Inter parturientis eniſus pubis à coccyge diſtantia augeri poteſt.

Pars media pelvis minoris aliquantò major eſt fretis ejuſdem.

## I I I.

Pelvim carnibus ſuis exſpoliatam perſpexiſſe haud unica ſanè Chirurghi obſtrictantis eſt opera: molles quibus inſtruitur partes ipſi ſedulò ſunt explorandæ, ut ratum habeat quodnam diſcrimen importent. Majus oritur ex muſculis *pſoas* dictis, ſiquidem partes laterales freti ſuperioris ſuprà trajiciendo, tranſverſæ ejus diametri longitudinem ita minuunt, ut diameter iſta brevior fiat



obliquâ, item & aliâ, quâ fecatur angulo recto, ut apprimè perspicax deprehendit celeberrimus M. Levret [a]. Cæterum amandamus, acturi de rationibus capitis fœtus ad pelvim.

## I V.

Diameter numero quadruplex in nascituri capite licet observari. Prima omnium major à symphyfi menti per pollices 5 ad posticam extremitatem futuræ sagittalis progreditur; secunda à mediâ fronte per pollices  $4 \frac{1}{4}$  ad occipitalem protuberantiam; tertia ab unâ parietali eminentiâ ad alteram; quarta tandem à vertice ad calvariæ basim: postrema verò utraque per pollices  $3 \frac{1}{4}$  ut plurimum ducuntur. Sed diversimodè possunt omnes haberi in partu, utpotè majores vel minores, prout flexilitas, mollities cranii ossium & eorum symphysis sinunt eos produci.

Sic se pelvis habent simul & fœtus; tales oculis Chirurgi se se conspiciendos exhibent. Quot innumeris calamitatibus natura subduceret mulieres, hujus si foret ordinis constanter usque tenax! Sed miserè ludit ibi non secùs ac pluribus in aliis.

## V.

Duplex angustia pelvis; absoluta, cum perperam adstruuntur ipsius ossa; relativa, quotiès modum excedit capitis fœtus volumen. Sed rarè cavitas integra peccat eo vitio; ut plurimum enim fretum inferius pro superioris angustia crescit & *vice versa*. Nec frequenter angustius hoc-ce dehiscit ab uno ad alterum latus, dum sæpius è contrâ à posteriori parte ad anteriorem. Quò arctius constringitur, eò partus est operosior; & si tantoperè angustetur, ut manus intromitti nequeat, fœtui tunc omnis omninò per illam viam recusatur exitus.

---

[a] Element. art. obst. pag. 6, § 31.

Sua hæc errata quibusdam Physicis visa est natura emendare velle & laborantibus opem ferre benignam, ligaminum laxatione, intermediarumque cartilaginum intumescentiâ, ossium diductioni & pelvis ampliacioni faventibus. Hanc indè plures veluti datam moliti sunt viam in juvando partu difficili. Hæc dubiâ luce deceptus Severinus *Pinæus*, Avicennæque sententiâ fretus [a], necnon Fernelii [b] & aliorum multorum suasit emollientia, linimenta, &c., ut laxiores & magis extensibiles factæ cartilagine & ligamenta, pelvis ossium juncturæ possent indulgere faciliùs [c].

Incautos huic-æ doctrinæ patrociantes mendax deviavit error qui aliquo nomine commendavit sectionem symphyseos pubis, licèt prorsus imparem, ut factò constat, ad superandum obstaculum partûs in casu ad quem excogitavit eam parùm sibi diffidens inventor. Per nos non stabit quin oblivio perpetua hujus præposteræ famæ vices excipiat.

## V I I.

Omnibus nota sanè ossium pubis diductio; nullâ de re tamen magis pugnancia increbuere. Medicinæ parens & princeps com-

---

[a] . . . «Necessarium est ut separentur quædam juncturæ & sustententur adjutorio Dei excelsi, post illud & propter illud redeunt in proximo ad continuitatem naturalem; & est operatio illa de operationibus fortibus naturalibus». Avicen. lib. 3, fen. 21, cap. 2 de generatione embrionis.

[b] Inter parturiendi difficultates à matre provenientes annotat *Fernelius* angustiam & ossis pubis firmiorem compactionem. Fern. op. lib. 6, cap. 17.

[c] Sever. pin. opusc. Physiolog. & Anatom. lib. 2, cap. 5, 6, 7, 8

memorans indicit eam [a]; majus naturæ molimen dicit eam *Avicennas* [b]; de eâ luculentissimè disseruit *Severinus Pinaus* ineunte seculo decimo sexto [c]; *Ambrosius Paræus* hujus osor & plures alii haud dubiam professi sunt, explorato mulieris cādavere, decimâ die post partum expletâ, quæ patibulo vitam finiit [d]. *Fernelius* [e], *Dulaurentius* [f], *Mauriceau* [g], & alii negantes impugnarunt: sed argumentis tot & factis ineluctabilibus eam dilucidè comprobavit celeberrimus M. Louis, ut inficias ire hodiè sit insulsum [h]. Partui verò prodesse non item liquidò patet.

## V I I I.

Potiori jure graviditas quàm partus ipsius causa censetur: nec tamen profus oritur ex eâ, siquidem non invenias diductionem in cunctis prægnantibus, nec etiam in eis, quarum angustior est pelvis & difficilior partus; cernitur è contrâ in quibusdam, quæ pluriès & facilè enixæ sunt; undè, ut excogitavit *Roederer* [i], colligi posset eam non essentialem esse effectum partus nec etiam graviditatis.

Nostra fas sit experientia fidem dicto facere.

---

[a] Hippoc. lib. de naturâ pueri.

[b] Avicen. op. lib. 3, fen. 21, loc. citat. \*

[c] Sever. Pin. opusc. Phis. & Anat. lib. 2, cap. 5, 6, 7, 8.

[d] Ambros. Paræi, op. lib. 24, cap. 13.

[e] Op. Fernel. lib. 7, cap. 11 de hominis pro creatione.

[f] Dulaurent Hist. Anat. corp. hum. lib. 2, cap. 26, lib. 8, quart. 33.

[g] Mauric. Tract. de part. lib. 2, cap. 1, edit. 7<sup>a</sup> pag. 107.

[h] Hist. Reg. Acad. Ch. t. 4, in-40. diss. de oss. pelv. diduct.

[i] . . . « Tunc fortè id fieri potest quandò cartilaginee nectentes itâ affectæ sunt ut facilè se moveantur atque periosteum & ligamenta quàm maxime sunt relaxata: quale quid accidere potest cachecticæ venereæ, scorbuticæ, &c. in majori gradu tali ». *Roederer. Elem. art. obst. § 22 p. 7.*

Non semel emortuarum pelvim scalpello perlustravi, hæc feliciter; ærumnosè aliæ pepererant: ossa mihi tam firmitè & strictè conjuncta visa sunt ac in statu naturali. Plurimis adfui parturientibus, ex quibus aliarum, rachitide diutiùs detentarum, maximè cogebatur pelvis; sed post partum, licèt longiorem & ope-  
rosam, incessus nec instabilis erat, nec dubius; diductio nulla, neque mobilitas in ossibus innominatis innotuerunt mihi quærenti; illæ verò mulieres post quartam vel sextam diem duriora repetentes peragebant opera.

Hanc ossium mobilitatem in aliis partu felicioribus attendi; sed quotiès uterus ad depellendum onus enitebatur, tot acerbis angebantur mulieres doloribus variis in commissuris ossium pelvis, ut se abstinerent ab omni copatu partum festinante, qui longior & iniquior erat prioribus, licèt infans gracilior minorque suis majoribus natu: aliquantò antè & post partum, claudicantes illæ in prædictis juncturis tacitum dolorem querebantur.

Traditam à familiari pelvim expendi, cujus cartilagine inter-  
mediæ ossium adeò quasi soluta videbantur & ligamenta eorum commissurarum tam relaxata erant, ut per quatuordecim lineas ossa pubis à se invicem, & unumquodque os innominatum à sacro per duas lineas, vel propè, sejungi possent, nec non unà postindè cogi in sede naturali: quo posito, minor diameter freti superioris pollices 4 æquabat, major verò 5; sed ossibus, ut suprà dictum est, diductis, tunc prior diameter lineas 2, posteriorque lineas 9, aut circiter, increfcebat. Recordate volumen assuetum fœtûs & constabit ad partum minimè requiri illa sic ossa dehiscere.

Muliere, de quâ hîc agitur, dùm parturiebat enecatâ, videre fuit uterum nullomodò contractum & in eo plures residuas placentæ partes, uterinis adhuc parietibus inhærentes.

## X.

Hinc si potest erui non admodum partui favere pelvis angustioris ossium dehiscencia, non idem sentiatur de mollitie capitis nascituri, nam flexibile aptari potest pelvis hiatibus. Cl. *Solayres*, cujus me discipulum glorior, quemque redivivum, sed inani voto, desidero, adfuit mulieri maximè distortæ, quæ continuò edidit puerum, quanquam fretum superius pelvis à sacro ad pubim vix pollices  $2 \frac{1}{2}$  æquabat, sed capite infantis adeò protenso, ut distantia menti ad occursum futuræ sagittalis & lambdoïdis pollices  $7 \frac{1}{2}$  superaret; transversa autem diameter pollices  $2 \frac{1}{2}$  non ampliabatur.

Mense Februario an. 1772 factum idem testis & actor oculis hausi. Cùm verò hæc mollis conditio capitis infrequentius occurrat, dùm è contrà sæpius evenit ut obtorta mulier puerum valentem & obesum gestet; tunc quæso, tentanda quænam via salutis utriusque pateat? Quis spondeat auctor felicem exitum?

## X I.

Quotiescumque puerum intus emortuum esse constat, si non ægrè manus Chirurgi potest demitti, pelvisque freta pervadere, præscindenda primùm quæque pars, ut frustatim educatur. Hæc ardua licet infantem diducendi ratio, longè tamen præstat operationi cæsareæ: teste *Roederero* [a]. Nihilominus si mater pa-

---

[a] « Quoties integer fœtus nasci nequit, certissimè autem mortuus vel monstruosus non servandus cognoscitur, manui & instrumento operatoris aditus in uterum patet, & dissectus fœtus angustias pelvis, salvâ matre, superare potest; fœtus in frustra dissectio operationi cæsareæ ancipiti præferenda est, quamvis illa plus & laboris & dexteritatis requirat... » *Roeder. Elem. art. obst.* § 778, pag. 272.

tiens hujus esse queat & vivat infans, ipsâ utere mecum. Quàmvis infeliciter eam usurpaverint plurimi, rudes etiam in arte, nec non semel suffecerint loco trite rationis in partu facili [a], nonnullis est obnoxia periculis; hæmorrhagia, uteri inflammatio & gangræna, nec non partium alvo infimâ contentarum, mors ipsa quandòque eam comitantur; una tamen salus videtur tùm puero tùm matri. Quorsùm plura morari; nihil intentatum ibi liquere priores, post uberem ab illis collectam segetem vix spicam invenies.

## X I I.

Sectio ossium pubis symphyseos, promptior, naturæ magis consona, mulierique tutior visa est omnibus iis, qui essentiali effectum sedulò non perpendentes, hanc præcesareâ laudibus extulerunt [b]: re-quidem visâ, sectio minor est uteroque extranea; parcit sanguinis effluvio; inflammatio, gangræna & lochiarum in alvo imâ effusio non indè subsequi debent. Sed idoneam fœtui & satis patentem recludat ne viam? Hic tamen scopus & meta; quod si non obtinetur, nil, nisi frustra, peregisti.

## X I I I.

Audiatur hujus patronus & auctor: "... Quo factò ( symphyse » sectâ ) ossa pubis subitò plùsquàm pollice à se invicem recedunt, tuncque fœtus naturæ artisque viribus sollicitatus per

---

[a] Mem. Acad. Reg. Chirurg. t. 1, in-40. disquis. de oper. Cæsar. M. Simon.

[b] Thef. D. Sigault, hujus oper. invent., An in partu contra-naturam sectio symphyseos ossium pubis, sectione Cæsareâ promptior & tutior? Th. D. Morand de la Roussière. An sectio symphyseos in partu difficili, ubi ad sectionem Cæsaream instrumentorum usum requiritur, huic duplici auxilii generi sit anteponenda?

» canalem ampliatur in lucem incolumis educetur [a] ». Post circuli sectionem eò magis protenditur ipsius circumferentia, quò divisa partes à se invicem recedunt, & singula diameter trientem circiter adventitiæ extensionis increfcit. Non verò statuas idem de pelvi & ipsius dehifcentiâ. Ora superior figuram quasi ellipticam reffert, tribus segmentis constantem, quorum alterum, cunei ad instar bafi suâ antrofsùm prominente, aliorum posticas inter extremitates inclusum reperitur. Quibus datis, si pelvim circino percurras, certò scies basim ossis sacri agi ad centrum hujus cavitatis, prout se jungentur à se invicem ossa pubis; itemque notabis diametri minoris incrementum ferè nullum esse & æquare propè zero, dùm è contrâ transversa diameter multùm amplabitur. Cernit hoc *Roederer*: « Finge autem ( inquit ) ossa diducta » esse, distantia tamen ossis pubis à sacro major non erit, cum » & ossium pubis & ossis sacri cum ossibus illiùm conjunctio sit » lateralis; ut, fibris cartilaginum elongatis, non nisi distantia » major, seu diameter longior reddatur [b] ». Non minùs pleno ore Deventer cujus verba sequuntur: « Maxima apertio & pelvis » amplificatio, quâ pateat fœtui via non à separatione ossium » pubis, sed à retrocessu ossis sacri vel totali vel quòdam acumen » ejus expectanda est [c] ». Nunc immota sacri supponatur basis nec antrofsùm acta, tunc si pollicem unum distrahantur ossa pubis, uno pollice major fit quòque pelvis circumferentia; sed quòdusquè verò crescet quæque diameter? Singulam à singulâ discrepare cernes, prout se habet mutua singularum extensio. Inferiùs laudata respicias experimenta quæ *Mathesi*, licèt in gratiam questionis solvendæ superabundè, nituntur.

## X I V.

Symphysim pubis pelvibus in plurimis omni carne suâ denudatis

---

[a] Th. D. *Sigault* jam cit.

[b] *Elem. art. obst.* § 28, pag. 8.

[c] *Noyam lum. obst. edit.* 2<sup>a</sup> cap. 3, pag. 18.

fecui, & postquam sacrum immotè stabilieram, inter ossa cuneum uno pollice densum inserui. Minor diameter freti superioris pelvis primæ pollices 3; major diameter pollices 5; media autem pollices 4 & lineas 10, æquabat: tunc prima omnium lineas  $2\frac{1}{2}$ , secunda lineas  $5\frac{1}{2}$ , & tertia lineas 5 increvit.

In secundâ pelvi minor diameter freti superioris pollices  $2\frac{1}{3}$ , major pollices 5, & media pollices  $4\frac{1}{4}$  erat; prima lineas 2, secunda lineas  $5\frac{1}{2}$ , & tertia lineas 5 increvit.

In pelvi tertiâ diameter minor freti suprâ dicti pollicem 1, & lineas 2, major diameter pollices 5, media 4 æquabat; prima increvit lineas propè 2, cæteræque lineas 5 [a].

Singulâ vice sacro-iliacæ symphyfes in parte anteriori lineas 2, aut circitèr, dehiscentes patuerunt.

Eadem iterans exquisivi, nec sacrum stabiliens, sed tunc basis ipsius introrsum dejecta est & harum pelvium aucta vix apparebat minor diameter.

## X V.

Ex dictis ergò evincitur diductionem ossium pubis non multùm adaugere distantiam eorum ad sacrum, & proindè symphyseos sectionem non fœtui perviam & meabilem efficere pelvim, nisi cùm fortuitò hæc distantia lineis aliquot minor est nascituri capitis minori diametro. Sed tunc quorsùm adhibeatur prælata operatio, Celeb. obstetricantis nostri forceps locum hujus & vicem explebit apprimè, etiamsi magis inæquales interse discrepent illæ partes, ora pelvis scilicet & pueri caput. Caveas etiam ne designes quânam angustîâ coarctari debeat pelvis ut partus impossibilis censeatur, quamcunque enim statueris, sectio proposita ad obicem superandum nequâquàm satis erit. Arte peritiores uno fatentur

---

[a] Nactus est idem mathematicus non nulli nominis ellipticas computans plures figuras similes ellipsis pelvium suprâ dictarum & ita admodùm pares calculos invenit, ut à meis experimentis parùmper vix discrepent.



ore talem angustiam requiri, ut obstetricia manus nequeat intus admitti, vel pede saltem infantis arrepto, extus ire [a]. Distabat pubis à sacro pollices 2 in muliere cui cæsareâ sectione salutem conciliavit M. Soumain [b]; digitos 2 in illâ, quæ eandem operationem passâ fuit, peragente D. de la Roche [c]; tres digitos in eâ, quam anno 1774. Non aliâ ratione, atque prospero admodum successu curavit M. Millot. Quò pertineret igitur symphyseos sectio in talibus pelvibus? Nùm satis easdem ampliaret ut facilius pertransiret fœtus? Conferantur ad se invicem diametri capitis infantuli & freti supradicti, tunc patebit quantum diameter minor pelvis post sectionem symphyseos brevior sit diametro minori capitis. Quid plura?.....

Absre foret alienum contestari animalia, symphyse pubis ossium sectâ, facilius parturire: nonne horum animalium pelvis ad fœturam longè profus impar erat pelvi femininæ ad puerum, in casu ubi omninò partui obest pelvis angustia?

Pronum est igitur concludere sectionem symphyseos ossium pubis permeabilem non posse pelvim efficere, quotiès fœtus exitui angustior obstat.

*Ergo in partu, propter angustiam pelvis, impossibili, symphysis ossium pubis non secanda?*

---

[a] M. Cel. Levret Elem. art. obst. 3<sup>a</sup> edit. art. 12, § 656.

M. Deleurye, Tract. de part. § 319, pag. 271.

Roeder. Elem. art. obst. § 777, pag. 271.

Devent. nov. lum. obst. 2<sup>a</sup> edit. p. 2<sup>a</sup> pag. 44.

[b] M. Acad. Reg. Ch. t. 1, in-40. de oper. cæsar. disq. M. Simon 3<sup>o</sup> obs.

(c) Idem, t. 2, par. 2<sup>a</sup> disq. M. Simon de cæs. op.

F I N I S.